



## The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *URBIS*

*(TEMPLUM DOMINAE NOSTRAE A SS. SACRAMENTO*

*ET SANCTORUM MARTYRUM CANADENSIVM) \*TEMPLUM DOMINAE NOSTRAE A SS.*

*SACRAMENTO ET SANCTORUM MARTYRUM CANADENSIVM AD DIGNITATEM TITULI*

*PRESBYTERALIS CARDINALICII EVEHITUR.* Consuevit Ecclesia more institutoque maiorum eos

viros, quos in amplissimum Patrum Cardinalium Collegium cooptaverit, dato titulo unius ex

celeberrimis Urbis templis ita Romae obligare, urbi scilicet Sanctorum Martyrum memoria omnium

sacratissimae, ut, quasi Romana civitate donati, summo christianorum Antistiti sapientia sua,

consilio, labore adessent. Volentibus ergo Nobis eum morem tenere, neque tamen in praesens

satis titulorum, qui assignari possint, praesto habentibus ob auctum Patrum Cardinalium

numerum, visum est templum quoque Dominae Nostrae a SS. Sacramento et Sanctorum

Martyrum Canadensium inter templa iuris Cardinalicii referre, cuius profecto et magnificentia, et

splendor, et momentum magna sunt. Eius autem historia et laudes in his causis praecipue

consistunt, quod templum id, a Sodalibus Congregationis Presbyterorum a SS. Sacramento

excitatum a dilectoquo Filio Nostro Paulo Aemilio S. R. E. Cardinali Léger, Archiepiscopo

Marianopolitano, anno MCMLXII consecratum, cum ipsum summa diligentia, studio, pietate ab

iisdem Sodalibus colitur, tum cum Instituto Internationali, quod dicunt, eiusdem Congregationis

coniungitur, in quo et Rector Maior, et Consilium eius primum sedem habent. Quae cum ita sint,

templum Dominae Nostrae a SS. Sacramento et Sanctorum Martyrum Canadensium, quod

Romae ad Villam a Massimo cognominatam, adiacet, templorum numero *tituli presbyteralis*

*Cardinalicii* accensemus, cum iuribus et privilegiis congruentibus. Rectoris autem erit eius sacrae

aedis has Litteras Nostras ad exitum adducere; qua re acta idem documenta exarari curabit et

sincera eorum exempla ad Sacram Congregationem Consistorialem cito mittere, debite subscripta

et sigillo impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus;

ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim

suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta

officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis

Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et

locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica

dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda

erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto mensis februarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri secundo.*

<p>IACOBUS A. Card. COPELLO S. R. E. Cancellarius</p>	<p>CAROLUS Card. CONFALONIERI S. Congr. Consistorialis a Secretis</p>
---	---

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens* Franciscus Hannibal Ferretti, *Protonot. Apost.*

Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 6, pp. 445-446 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana